


05

A

311





5
Exercitationum Politica-
rum, nobiliores controver-
sias expendentium,

Q U I N T A

Quam,

D. O. M. A.

*In celeberrimâ Electorali ad Albim
Academia*

P R Æ S I D E

M. JOHANNNE OLEARIO

Hallens. Sax. Ampliss. Facult. Philo-
soph. Adjuncto

Publicè ventilandam proponit

PAULUS RÖBERUS Hallens. Saxo.

In Auditorio Minori, ad diem 25. Junii


horis Matutinis,



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.



RECTORI MAGNIFICO
VIRIS

*Admodum Reverendis, Consultissimis,
Amplissimis, Experientissimis, Excellentissimis,*

Academiae V Vittebergenfis
Patribus conscriptis,

*Dominis Fautoribus, Patronis ac
Promotoribus suis aeternum
observandis ac suspi-
cendis*

Exercitationem hanc Politicam debitæ
gratitudinis ergò, submisse dedicat
& offert

PAULUS RÖBERUS,
Hallens. S.

130

QUÆSTIO I.

Quanam optima sit Respublica?



Ensus quaestionis est de generali considerati-
one Reip. quatenus illa in rectā & vitiosam seu
aberrantē dividi solet. Ubi quanquam hic illā,
alius aliam præfert, non destitutus rationi-
bus, quæ passim apud Casum, Bodinum &c.
occurrunt, nos tamen posthabitis illis omni-
bus & singulis asserimus: Optimam, generaliter loquendo, esse
Rempub. illam, in quâ Magistratus publicæ utilitatis gratiâ,
secundum leges, populo volenti imperat; quæ proinde recta meritò ap-
pellatur, & ei opponitur, in quâ Magistratus citra leges propter suas
ipsius utilitates populo invito dominatur, quæ jure vitiosa seu aberrans
vocari potest. Quod prob. 1. ex ipsâ rei naturâ, quam explicat
Aristot. lib. 3. Polit. cap. 4. 5. 7. ostendens, quod aliæ Respubl.
sint rectæ ὀρθαὶ & ei, quod simpliciter justum, consentaneæ;
quæ communem spectant utilitatem: vel aberrantes seu di-
gressiones, aut vitiosæ Respub. ἀναρρυθμιστοὶ, φθορὰ, ἠναρ-
ρυθμιστοὶ τῶν ὀρθῶν. Ubi verò prior exulat, ibi posterior locum
habet. 2. Ex bonâ Reip. requisitis. Namq; 1. ea curat bonum publi-
cum, salutem civium, ἀντιχρηστικόν. Quo respicit illud Ciceronis lib.
3. de LL. Salus populi suprema lex esto. Et Senecæ de Clement. quan-
do vult ut Imperator cogitet, non suam esse Rempub. sed se esse Rei-
publicæ. Confer exempla Codri, privatæ saluti adeò præferentis
publicam, ut ne mortem oppetere veritus sit. apud Justin. lib. 2.
item Leonidæ. ibid. Epaminondæ apud Pausaniam. Deciorum apud
Valer. Max. lib. 5. cap. 6. Et Livium. lib. 8. Conferatur Aristot. lib. 3.
Polit. cap. 4. Si ergò ullibi, certè hic obtinet illud Ciceronis lib. 1.
de LL. Ut quisq; maximè ad suum commodum refert, quacunq; agit
ita minimè est vir bonus. Vid. plura apud Arniseum c. 7. p. 127. seqq.
A 2. Eadem

2. Eadem Respub. secundum leges vel divinas vel humanas & naturales imperat. Siquidem finis etiam optimus sine mediis convenientibus frustra acquirendus proponitur. Confer *Aristot. l. Oeconom. & l. 4. Polit. cap. 10. 6. 8.* Tandem & ipsa Respub. bona in populū volentem imperium habens moderatissimā & exoptatissimā administratione gaudet. *Ex quibus ad argumenta quæ passim huic veritati opponi solent, responsio est facillima;* Impri-
mis verò, si quoad tertium bonæ Reipub. requisitum observe-
tur, ejusdem perpetuitatem tumdemum concedi, si subditi
sint tales, quales esse convenit. Posse enim sæpissimè fieri, ut
subditi, quorum mores corrupti sunt & depravati, optimi prin-
cipis avertentur & recusent imperium, non negamus.

QUÆSTIO I I.

Quomodo convenientissimè dividatur Respublica?

Varias hæc de re variorum autorum opiniones in com-
pendium redactas passim videre est apud *Gregor. Tholosanum.*
Platonis verò sententia ex *Diogene Laërtio, & Aristot. lib. 4. Polit.*
cap. 2. constat, quod quinque faciat in universum Reipub. species;
aliam verò *Ciceronis* sententiam exponit *Augustinus lib. 9. de C. D.*
cap. 21. aliam Tacitus, qui lib. 4. Cunctas, inquit, nationes & urbes
aut populus, aut primates, aut singuli regunt. Confer *Herodor l. 3.*
in deliberatione Principum Persicorum de regno deinceps admini-
strando, cum Cambyses vitâ functus esset. & Patric. lib. 1. de Instit.
Reipub. cap. 4. Machiavell. l. 1. discurs. cap. 1. Bodin. l. 2. cap. 1. Tho-
lofan. lib. 5. cap. 1. Lipsium l. 2. Polit. cap. 2. Hisce verò omnibus
suo loco relictis asserimus: *τηρχοκρατία* receptissimam in Monar-
chiam, Aristocratiam & Democratiam meritò esse præferendam, cui
ex opposito altera in tyrannidem, & Oligarchiam, & ochlocratiam
divisio respondet. Quod prob. 1. Ex sufficienti enumeratione.
Nam ut ex *quest. 1.* constat, Respub. vel recta est, vel vitiosa.
Recta est vel Monarchia seu regnum, si unus rectè imperat; sin
verò utilitatis propriæ gratiâ, fit Respub. aberrans & in specie
Tyrannis. 2. Vel Aristocratia, si optimi quique ad salutem
civium

civium imperant; si pauciores, degeneratio fit, & oligarchia oritur. 3. Vel Democratia seu Politia, si plures ex universo civium ordine, sive quando universus populus, aut maxima eius pars æqualiter imperat secundum leges; Cùm verò improba plebs pro arbitrio suo omnia agit cum detrimento Reipub. aut primariorū civiū, degeneratio fit, & oritur Ochlocratia. 2. Idem patet ex *Aristot. l. 3. Polit. c. 5. & 7.* ubi hoc modo progredi videtur: *Summa potestas est vel penes leges, vel penes homines. Si penes homines, vel omnes, vel paucos, vel unum. Omnes aut æquales virtute seu libertate ut in Politia seu Democratiâ. Pauci vel præstantes virtute sunt, ut in Aristocratiâ, vel divitiis & nobilitate, ut in Oligarchiâ. Unus demum vel optimus est, ut Rex; vel pessimus, ut Tyrannus.* Confer eundem *Aristot. l. 4. Polit. c. 2. 3. Ex præstantissimorum Politicorum suffragio.* vid. *Arnise. lib. de Repub. in gen. c. 1. Tholosan. lib. 5. de Repub. c. 1. Bodin. l. 2. de Rep. c. 1. Fr. Patrit. lib. 1. de Instit. Reipub. tit. 4. & lib. 1. de regn. & reg. Institut. tit. 3. Lipsius 2. Polit. 2. Junius part. 1. q. 1. Hippolit. à Collib. in princip. c. 1. Lambert. Daneus lib. 1. Pol. c. 6. & c.* Quamquam non negemus, jure dubiam videri *Arniseo l. d. sententiam Barclaji l. 3. contra Monarchom. dicentis c. 4. De eo quod sint tres formæ Rerumpublicarum, omnes Politici, aliis licet in rebus discordes, nullo excepto, & verbis & animis consentiunt. Quæ verò in contrarium ab aliis disputata sunt, facili negotio conciliari poterunt, scil. si adhibitis iis quæ supra ex *qvæst. 1* huc pertinere possunt, Status controversiæ probè attendatur, & *Arnisei* fundamenta porrò hoc uberrimè confirmantia, contraria etiam non pauca quibus hanc sententiam explicat, addantur *ex lib. de Republ. in genere. c. 1. ubi vid.**

QUÆSTIO III.

An detur Respubi. mixta?

Negativam defendit *Bodin. l. 2. de Repub. c. 1. Hænon. disp. Polit. 9. Kirchner. disp. 2. de Repub. n. 5. Timpler. lib. 5. Polit. c. 2. q. 7. & alii non pauci, [confer *Tholosan. l. 5. de Repub. c. 1. & Junium. qq. Polit.*] urgentes passim mixtionis veræ proprietatem, majestatis indivisibilitatem &c. Verùm posthabitis hisce *asser-**

mus mixtam omninò dari posse Rempubl. in quâ jura majestatis distincta, distinctis attribuuntur statibus. Quod prob. 1. quia datur Majestatis distinctio, quam licet Bodinus & asseclæ negent, omni tamen destituuntur fundamento, siquidem omne quod ex multis partibus est concretum distingvi potest rectissimè. Talis verò est majestas, multis potestatibus (videl: ferendi leges, constituendi Magistratus, recipiendi ultimam provocationem, judicandi bella, cudendi monetam &c.) constans. 2. Ex ipsâ rei naturâ. Namq; v. g. summa dignitas potest esse circa Regem, cui ad præstandam obedientiam omnes obligantur; item potestas conscribendi exercitum, bellum gerendi & paciscendi cum externis ad salutem Reipub. item distributio præmiorum, jus imperandi tributa, cudendi monetam &c. Senatus verò iis rebus præfici potest, quæ maximè indigent prudentia, ut sunt judicia publica & leges de rebus extra statum Reip. ferendæ &c. Plebi verò cura ærarii publici & magistratuum creatio permitti potest. Quem commodissimum mixtionis modum judicat *Arniseus c. 8. p. 135.* Et cum ipso *Heiderus c. 6. p. 986.* Unde quid de distinctione inmixtionem essentialem ac primariam; & accidentalem seu secundariam sentiendum sit, facile constat. Conferatur *Keckerman. l. 2. c. 1. Kirchner. disp. 3. & 4. Althus. c. 39. Clapmar. l. 5. c. 20. & l. 6. c. 18, 19, 20. Prætor. sect. 3. Plato lib. 3. & 6. de LL. & lib. 8. de Repub. Cic. lib. 3. de LL. Contarenus de Republ. Venetâ, Morus in Utopiâ suâ. Machiavell. lib. 1. discurr. c. 2. Lipsius lib. 2. Polit. c. 2.* In specie verò de mixtione Monarchiæ cum Aristocratiâ vid. *Keckerman, lib. 2. Bl. c. 4. Althus. c. 18. Aristocratiæ & Democratix Aristot. 4. Polit. c. 8, 9. & Keckerm. lib. 2. c. 5.* Exempla verò mixtarum Rerumpub. ex *Justinio, Polybio, Macrobio, Machiavello, Herodoto, Aristotele, Xenophonte, Cornelio Nepote, Livio, Plutarcho & aliis pluribus adducit Arniseus, l. d. p. 136. seqq. & Heider. l. d. p. 986.*

Ex quibus ad argumenta contraria facilis est responsio videl. ad 1. respond. mixtionis naturam huic negotio non obesse demonstratum sufficientissimè & contra Bodinum evictum ab *Arniseo & Prætorio d. l.* Interim discernendos esse varios mixtionis modos, nec omnes simpliciter & indifferenter concedendos, facile damus.

mus. ad 2. respondetur, ei esse satisfactum per rationem assertio-
nis nostræ primam. ad 3. respond. idem jugulatum esse illud per
assertionis nostræ rationem secundam. Reliqua verò quæ *Bodi-*
mus & alii proferunt, quippe leviora, hisce prostratis spontè con-
cidunt.

QUÆSTIO IV.

An Monarchica gubernandi ratio præ- ferenda reliquis?

De variâ vocis Monarchiæ acceptione passim varia anno-
tant Politici. Commodissima tamen ratio videtur, si cum *Excell.*
D. Jac. Martin. Politic. p. 336. distinguatur inter acceptionem hu-
jus vocis latiore & arctiore. Illo modo quodlibet summum
unius imperium sive legitimum, sive illegitimum sit, adeoq; & ty-
rannicum includit. Hoc autem modo pro imperio unius legiti-
mo capitur, qui Monarcha speciatim dicitur. Vel Politicè, & sic
Monarchia est Respub. in unius legitimâ gubernatione rerum
summam constitutam habens. Vel Theologicè, pro latissimâ u-
nius in totum mundum vel maximas ejus partes jurisdictione.
Quomodo Turcam non esse monarcham constat, & quatuor so-
lum monarchias esse suo loco ostendunt Theologi. Conferatur
Helvicus in Synops. Histor. p. 3. ubi in hâc ultimâ significatione per
Monarchiam, inquit, nihil aliud intelligimus, quàm imperium in
mundo summum (inter omnia eminens) à Daniele præfigura-
tum, quod DEUS præ cæteris potentiâ instruxit & dignitate orna-
vit, ut cætera ad illud respiciant.

Sensus verò præsentis quæstionis est, an Monarchica guber-
nandi ratio pro ut Politicæ considerationis est, Aristocratia vel
Democratia sit præferenda. Pro negativâ pugnat *Petreus in Po-*
lit. Pro affirmativâ verò rationes XX. producit *Heiderus cap. 6.*
ibidemq; ad auctoritatem *Aristotelis, Platonis, Xenophontis, Plutar-*
chi, Seneca, Herodoti, Stobei, Dionysii Halicarnassæi, Dionis, Curtii,
Svetonii, Arriani, Volaterani, Pontani, Beroaldi, Thomæ, Erasmi, Pa-
tricii,

ericii, Simanca, Rhodigini, Bodini, Casi, Tholosani, Junii, Lipsii, Arna-
sei, Kirchneri, Althufii, Keckermanni & c. provocat, qui omnes ean-
dem sententiam defendunt. Idem facit Pratorius p. 213. Schön-
born. Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 2. & Gretserus. Hisce igitur
omnibus in utramq; partem ventilatis asserimus, omninò Monar-
chiam quidem absolutè & in suâ naturâ consideratam non existen-
tie accidentaria sæpenumero vitiosissima, sed essentia & dignitatis in-
trinfecæ ratione statum manere perfectissimum, præstantissimum atq;
laudatissimum (quod sanè rationes & autores citati probant u-
berrimè) interim tamen eandem in relatione & applicatione ad
certam Rempub. & civitatem consideratam non statim esse sim-
pliciter præferendam.

Quod prob. 1. quia aliud est imperium absolutè dignius
ac præstantius, aliud verò ex collatione ad subjectum, quem-
admodum in aliis multa absolutè præstantiora, huic tamen vel
illi subjecto minimè convenientia reperiuntur. scil. v. g. mo-
tus in orbem reliquis absolutè præstantior, non tamen ideò &
homini conveniens est. 2. Quia oportet sagacem Politicum,
corporibus civitatum convenientes inducere formas, cum
non omnes omnibus sint statim accommodatæ. Hinc 3. re-
ctissimè Aristoteles lib. 4. Polit. cap. 1. monet, ut non tantum quæ-
ramus optimam Rempub. absolutè, sed eam quæ optima sit
in hâc vel illâ civitate. Unde & lib. 6. cap. 7. Aristocratiam eo
in loco constituendam censet, ubi opus est milite gravis arma-
turæ. Spectandum siquidem, ut illi, qui in armis exercentur,
dignitatem in Repub. obtineant; neq; enim diu armati iner-
mibus obtemperare solent, quippè qui cogi non possunt.

Atq; hinc non modò conciliatio utriusq; partis sententiarum
est facillima, verum etiam dijudicatio absurdissimæ disputa-
tionis Bellarminianæ, quod ex absoluta, quæ negari non pot-
est, Monarchiæ præstantiâ eandem & Ecclesiæ deberi à τὸ πῶς
concludit. Cujus consequentiæ vanitas erit evidentior, si ea,
quæ ex Disput. 1. quest. 5. hûc facere possunt, addantur. Imprimis
verò quæ hâc de re disputat. B. Meisnerus lib. 4. de LL. sect.
2. artic. 2. q. 1. p. 510. seqq. nec non part. 3. Philos. Sobr. pag. 345.
Ubi

Ubi inter alia sufficientissime ostendit: De formâ & modo regiminis facti non ex opinione Politicorum, sed ex naturâ principiorum Theologicorum esse judicandum: adeoq; à regimine Politico ad Ecclesiasticum, à Philosophico ad Theologicum, ab Aristotelico ad Apostolicum nullam esse consequentiam. Quae de re suo loco Theologi. vid. Gerbard. de magistr. S. 133.

QUÆSTIO V.

An Monarchia Dyarchiam & Triumviratum complectatur?

Sensus quæstionis est, num quando duo aut tres imperatores simul ad clavum Reipubl. sedent v. g., quando Diocletianus sibi collegam adjunxit, pari potestate, Maximinianum, num reginem maneat monarchicum? *Negandum videtur* 1. quia repugnet monarchiæ. 2. ejusq; definitio, adeoq; ipsa natura & propria ratio. 3. cæteraq; requisita singula 4. Utilitas publica *Confer quæst. anteced.* Verum non obstantius hisce *asserimus: Ubi cumq; imperantes subordinati sunt, ita ut ab uno summo Imperatore dependeant alii Monarchiam salvam manere, Dyarchiam ejusmodi vel Triumviratum nequaquam excludentem. Quod prob.* Ex ipsa monarchiæ definitione & requisitis *vid. quæst. præced.* sufficit enim si unus cum summâ potestate imperat. Unde nihil obtinere rationes contrarias manifestum est. *Nam ad 1. 2. & 3. Respond.* valere eas tantum de ejusmodi polyarchiâ ubi inter imperantes dividitur imperium, ut v. g. si Antonius Orienti solus præsit, Augustus occidenti, Lepidus Africae &c. Arg. 4. per se planum est, *Confer Kirchner. Disp. 14. & Chronic. Philip. lib. 3.*

QUÆSTIO VI.

An status Imperii Romani sit Monarchicus?

Videtur *Negandum* 1. Ob administrandi modum Aristocraticum. *vid Bodin. de Repub. cap. 2. n. 189. Kirchner. disp. 3. de Repub.*

B

Repub. §. 7. Obrecht de Regal. tit. 12. 2. Ob Collegiū Electoralis in electione intentionem de quā ita Moguntinus in electione Caroli V. apud Schleidan. p. 20. Illa (de R. Gall. Francisco) ad Monarchiam spectant, nobis autem imprimis est Aristocratia retinenda.

3. Ob excell. viroꝝ ad experientiam provocantium consensum. Sic enim Baurmeister de jurisdic. lib. 1. c. 5 §. 47. Post mortem Caroli M. constitutā Aristocraticā gubernandi ratione Imperatori non βασιλεία, multò minus dominatus omnibus numeris absolutus, sed βασιλεία κατὰ νόμον, i. e. principatus Aristocraticus, legibus certis definitus concessus est. Confer & Schönborn l. 1. Polit. c. 16. inter alia dicentem: Quis statum Romano-Germanici Imperii simplicem statuat? annon ex Aristocratia & Monarchia mixtus est, in quo tamen præponderat Monarchia. Add. Daniel. Otto de jure publ. p. 96. Bodin. Meth. Histor. c. 6. & lib. 2. de Repub. c. 6. Verùm hisce suo loco relicti asserimus: statum Imperii Romani Monarchicum omninò esse, quāquam Aristocratia temperatum. vid. Excell. D. Jac. Mart. l. 2. Polit. p. 1063. Quod operosa probatione haud indiget, cum omnes rationes, quas Reinking. de regim. & alii Bodino hæc in parte opponunt, suo modo huc referri possint. Quibus add. Gerhardus de Magistratu §. p. 139. contra Lactantium lib. 7. Institut. c. 15. nec non contra Judæos hodiernos demonstrans, monarchiam Romanam usq; ad finem mundi esse duraturam. Unde ad argumenta opposita facilis erit responsio, si i. suo modo huc accomodemus illam, quam in negotio electionis adhibet distinctionem Excell. D. Jacob. Mart. lib. 2. Polit. p. 345. inter electionem eam, quā eligentes majestatem retinent tanquam Domini proprietarii & tantum Regi electo concedunt gubernationem sive administrationem; & inter eam electionem, quā eligentes non tantum gubernationis potestatem attribuunt Principi, sed insuper totam ipsi majestatem & absolutam potentiam secundum regni jura committunt. Ibi Aristocrat. hæc verò Monarchiam esse facile apparet. Confer verba Valentiniani Imperat. apud Sozomenum lib. 6. Histor. Eccles. c. 6. milites, à quibus electus erat, ita alloquentis: Me ad imperandam deligere, o milites, penes vos erat, sed cum jam à vobis delectus sum, vos, qui meo jam imperio subjecti estis, conquiescere; Me autem, utpote Imperatorem, quid agendum sit, confide-

considerare decet. 2. Plura huc facientia videri possunt apud Rein-
king. d. l.

QUÆSTIO VII.

An Imperium Romanum appelletur rectius Germanicum?

Svadere hoc videtur. 1. ejusdem Imperii à Romanis ad Germa-
nos translatio, vid. Flacius & Bellarm. lib. de translat. Imperii. 2. Se-
des Imperatoris non Romana, sed Germanica. 3. Finis ejusdem,
quo non tam Romani quam Germani gaudent, &c. Verum non
obstantibus hisce asserimus: Imperium nostrum rectius Romanum
appellari quam Germanicum, idq; præsuppositis iis, quæ ex quæst. 6.
huc spectare possunt, facile probamus, 1. ex Imperatorum facto, se
non Germanos sed Romanos Imp. appellantium in Romani Im-
perii recessibus & passim. 2. ex ipsorum hostium testimonio. Nam & à
Turcarum Imperatore Romanorum Imperator salutatur, teste
Nic. Reusn. lib. 10. Epist. Turc. 3. ex subditorum titulo. Romanorum
idem Imperator est. E. & Imperium haud desit Romanum. vid.
Arumæ discurs. jur. publ. 2. Daniel Otto. c. 5. Buxtorff. dissertat. ad A. B.
concl. 2. 4. Ex signi proprio, ejusdemq; convenientia cum signato. In-
signia etenim veterum Imperatorum (Aquilam) hodieq; gestat
Imperator, Ergò aut injustè, quod absurdum; aut justè, adeoq; &
signatum. Imperium videl. Romanum ei non denegandum. Uti e-
nim nomina imponuntur ad homines dignoscendos, ita & insignia
ad agnoscendas familias & successiones veras faciunt: cum per
signum cognoscatur signatum. 1. quod si neg. ff. de peric. & commo-
do rei vendit. Ex quibus ad rationes contrarias ultrò se offert respon-
sio, videl. ad 1. & 2. quod Imperium non includatur aut circum-
scribatur loco unico, aliàs enim translata sede Constantinopolin
idem potuisset objici. Cum tamen Imperatores illi nequaquam
Romano titulo sese abdicarunt, quod docent eorum rescripta. vid.
imprimis l. si quando. 35. C. de inoffic. testam. ubi Imperator Justinianus
ad A. Julianum præfectum, Prætorii scribens, inter alia dicit: Neg.
enim credendum est, Romanum Principem, qui juratus tueretur hujusmodi
verbo totam observationem testam. &c. velle everti. Tertium verò
ex dictis spontè cadit.

QUÆSTIO VIII.

An translatio dignitatis imperialis à Grecis ad Romanos per Pontificem facta sit?

Quanto conatu affirmativam defendat Bellarminus, tres illi libri ejusdem de hâc materiâ satis ostendunt, in quorum primo ostendere conatur Romanum Imperium à Grecis ad Francos summi Pontificis autoritate translatum per capita XIII. In altero: Imperium Romanum à familiâ Caroli M. gente Francorum ad familiam Ottonianam gentem Saxonum Summi Pontificis autoritate transfisse per capita IV. In tertio: Septem Electores Imperii Summi Pontificis autoritate à Gregorio V. potissimum institutos esse per capita IV. Statum verò controversiæ lib. 1. cap. 4. §. 2. hoc modo formare videtur: Leonem Tertium Pontificem Maximum aut solum, aut præcipuum & primarium autorem hujus translationis fuisse, ejusq; Germanicam rationem Imperium acceptum retinere debere. Verùm hisce omnibus non obstantibus asserimus: Pontificem Maximum transferre Imperium à Grecis ad Romanos nec potuisse, nec etiam de facto transtulisse. Quod antequam probemus, præsupponimus tanquam verissima, quæ hâc de re ex probatissimis Doctoribus Matthias Flacius Illyricus, quem à Bellarmino nequaquam esse sufficienter refutatum [ut quidem ipse putat, undè non modò in præmio librum Flacii vocat mendacissimum, sed etiam horribilia mendacia ipsi tribuit lib. 1. de transl. c. 2. §. 10. & ibid. §. altera ratio, dicit: Flacio certum esse, millies potius mentiri & mendacia jurejurando confirmare, quàm Lutherum deserere] patet vel ex eruditissimo Arnisei tractatu, quem Bellarmino opposuit. His itaq; præsuppositis probamus nostram thesin I. ex facti impossibilitate. Quod enim Leo Pontifex nunquam in suâ potestate habuit, illud dare alteri haud potuit, at verò nec in Italiam, nec in urbem ipsam imperium habuit. E. Minor patet ex veritate Historicâ quæ comprobatur, quod maximam Italiæ partem tenuerit Desiderius. Imò ipsius Leonis querela ad Carolū ostēdit, quod in urbe vix locū ipse habuerit. Idem cōfirmat legatio Adriani, qui antecessor erat Leonis, ad Carolū, ubi supplex orat, ut se & urbē

contra

contra Desiderium defenderet. vid. autores supra citati. 2. ex manifesta contraria opinionis falsitate. Non enim à solo Pōtifice, sed à Senatu, Clero, Populoq; Romano Carolum Imperatorem designatum esse testantur Historici. Sic enim *Aventinus*: Cum mulier Constantinopoli imperaret, quod in auditum esse videbatur, putabant Romani se potestatem habere & jus eligendi Cæsarem, quod imperium ex ipsis esset & nominaretur. Tenebat autem Carolus omnes provincias, quæ ad urbem Romanam pertinebant. Itaq; A. C. 801. Leo Papa, Senatus & Populus Romanus illum designabant Imperatorem. Ita *Marianus Scotus*: Carolus hoc tempore à Romanis Augustus appellatus. Ita *Sigebertus*: Romani uno omnium consensu Carolo Regi imperatorias laudes acclamant, eumq; per manum Leonis coronant. addatur *Onuphrius* qui dicit: Cum primum Imperator & Augustus renunciatus fuisset à Rom. Pontifice ungebatur, aureoq; diademate coronabatur &c. Ad argumenta *Bellarmini* ab autoribus ante citatis sufficientissimè est responsum quibus addi potest *Oratio Job. Garsenii de Pontificiâ Imper. Coronatione*. *Simon Scharidius in Polit. imper. & Schönborn. lib. 5. Politic. cap. 4. Reinking. Summa*: quicquid hâc in parte fecit Papa, non jure, sed de facto accidit, per meram πολιτευσίαν: Translatio siquidem imperii est actus jurisdictionis & potestatis Politicæ, proindè hâc destitutus (quod de Pontif. Rom. fatetur *Tannerus*) illam exercere nequit. vid. *Necessaria depulsio* pag. 104. Quando ergo interdum translatio Imperii eidem tribuitur (ut à *Luthero* in præfat *Apocalypf. German.*) intelligendum, quod transtulerit κατὰ δόξαν potius quam κατὰ ἀλήθειαν, adeoq; ἀποκριντικῶς potius & οἰομαθῶς, intercedendo, urgendo populum &c.: & διακριντικῶς urgendo, & Imperatorum electum declarando, manifestando, quam ἐνεργητικῶς; de opinione & facto, non autem de jure & veritate, cum quod quis non habet alteri dare nequeat. Quæ verò ibidem de Electorum origine disputat. facile dijudicari poterunt ex iis quæ hâc de re habet. *Limneus de jure publ. & Daniel Otto pag. 157. seqq. Alstedius Encycloped. pag. 2663. Reinking. Schönborn. lib. 5. Polit. cap. 32. Bucholz. pag. 300. & Necessaria depulsio ab Excell. D. Wilhelmo Lysero edita pag. 226. addatur innocentia Lutherana Hunnii contra*

Tannerum. Atq; ex his obvia quoq; est responsio ad cognatam quaestionem. Cur Sacrum & sanctum dicatur Romanum Imperium videlicet nequaquam ab Autore Rom. Pontifice, sed 1. ab Autore Deo sanctissimo. 2. à Christo Sancto sanctorum, in eodem nato. 3. à sanctæ Ecclesiæ, cui domicilium præbet, habitaculo. 4. à Majestatis sanctæ i. e. inviolabilis proprio. 5. à sanctorum sive inviolabilium legum officio. Vid. Theologi Saxonici in Apologiâ pupillæ pag. 995. Item ad alteram: An vis solius electionis Imperator talis sit, an verò demùm subsequatur à Papali coronatione. Prius enim affirmandum esse non modò superior. ostendunt, verum etiam prolixè hæc de re disserentes Arumæus discursus 2. ad A. B. §. 20. & disc. jur. publ. 3. Buxtorff. disp. ad A. B. §. 88. Anton. Coler. disp. de jur. Imper. German §. 6. Wendland. in disertat. Cathol. pag. 133. Paurmister lib. 2. de jurisdic. cap. 4. Daniel Otto de jure publ. cap. 10. Confer Gerbard. de Magistratu §. 82. Tandem ad illam quoque: an Imperator rectè dicatur totius mundi Dominus, affirmativè respondendum, ex iisdem constat, ita tamen ut distinguatur inter actualem omnium populorum in individuo subjectionem, & inter Synecdochiam locutionem totum pro parte capientem. videatur Paurmeister. lib. 2. part. 1. cap. 1. Arniseus de jure Majestat. lib. 1. c. 2. Daniel Otto cap. 6.

QUÆSTIO IX.

An Monarchia ex libidine Dominandi & ambitione orta?

Afferendum videtur. 1. Propter experientiam vid. de Nino, Cyro, Dario, Alexandro M. Julio Casare &c. Justinus, Curtius, Arianus, Livius &c. 2. Ob repugnantiam cum animo bono composito atq; modesto. Confer. Gerbard. de Magistrat. §. 28. seqq. 3. Ob facti iniquitatem. 4. Ob dignitatis humane paritatem. Confer Gerbard. l. d. §. 53. seqq. Verum non obstantibus hisce asserimus: Monarchiam cum vitiis & sceleribus gravissimis ratione existentie sue sæpenumero quidem inveniri conjunctissimam, in se tamen longè aliud & sublimius principium, summum videlicet Monarchiam agnoscere. Cujus probationes accumulare haud opus est, cum pleraq; pro
affir

affirmat. quaestiois 4. adducta, suo modo huc referri possunt. Ex quibus non modò ad argumenta opposita facilis erit resposio, vel unicâ inter rem ipsam & adjunctam malitiam adhibitâ distractione: verùm etiam cognata quaestiois patebit decisio. Num & quatenus homini nondum malo Monarchia repugnet vel secus? Vid. quæ huc pertinent. ex Disp. i. quaest. 7. & 8.

QUÆSTIO X.

Num ad causam efficientem Monarchiæ omnia eidem connexa referenda sint?

Affirmativam svadet Metaphysicus canon: Causa causa est causa causati. Verum eundem nequaquam obstare dicimus quo minus asserimus: Connexa Monarchiæ bona rectè quidem ad causam ejusdem efficientem referri, mala verò ob accidentariam concomitantiam aliis causis quæ in agendo deficere possunt assignanda, nequaquam verò ad universalem causam referenda esse. Quod facile prob. quia id quod agit, propterea non statim de defectu participat. Unde ad oppositum canonem respondetur, eundem malè applicari. Quia non de accidentali sed de essentiali modo & per se subordinatis loquitur, nec de defectibus causato adherentibus, sed de causato propriè dicto, adeoq; perfectivo, non verò destructivo.

QUÆSTIO XI.

An legitimis Monarchiam &c. obtinendi modis annumeranda sit electio?


Varios esse modos ad dominium perveniendi, Illicitos alios & illegitimos, alios verò legitimos & licitos, constat. Hi verò ad tria revocari solent capita principalia, ad electionem videl. Successionem & justam occupationem. De priori hoc loco quæritur. Cui non pauca argumenta opponi possent ex Bodino l. 6. de Republ. cap. 5. Tholosano. lib. 7. c. 4. Lipsio lib 2. Polit cap. 4. Illi tamen posthabitis asserimus: Electionem, sive ea à superioribus, sive ab inferioribus fiat, & hæc vel ab omni populo, vel à proceribus & optimatibus omninò legitimum esse Monarchiam &c. obtinendi modum. Quod ipsum
pro-

probare haud opus est, cum rationes apud autores dictos non
paucæ habeantur, quæ suo modo huc referri possunt. Ex quibus
insuper ad contrarias ibidem adductas responderi potest facillimè.
Siquidem omnes illæ thesin præsentem non tangunt directè, sed
solum electioni cum successione comparatæ opponuntur.

QUÆSTIO XII.

An omnes electionis modi approbandi?

Negativa patet ex questione antecedente, ubi legitimos ab illegitimis modis distinximus. Interim asserimus: modos Electionis legitimos supra enumeratos omninò esse approbandos, in quantum 1. piè. 2. liberè 3. prudenter & circumspectè ab eligentibus adhibentur; in aliis verò accidentarium ab usum à re ipsà probè esse disjungendum. v. g. Electio fieri potest vel per suffragia ac vota, eaq; vel planè libera, vel ad certum quendam ordinem ac personas legibus restricta. Conferatur oratio Electoris Moguntini apud Schleidan. l. i. ad An. 1519. ex aurea Bullæ constitut. differentis. Num verò etiam sortem &c. adhibere deceat, de eo in seqq. suo loco videb.



Humanis. & Doctissimo Dn. Respondenti,
Philosophiæ Practicæ cultori induitrio,
Sympatriotæ dilectissimo

P*RACTICA Virtutis natura est. praxis abundè
Cernitur. hæc etenim premia summa parat,
Hanc porrò pergas virtutis pergere praxin,
Premia namq; tibi centuplicata parat.*

Gratulab. f.

PRÆSES.



05 A 311


ULB Halle 3
004 209 80X



Sb

107





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



m Politica

s controver-

ntium,

T A

A.

orali ad Albim

I D E

OLEARIO

s. Facult. Philo-

juncto

ndam proponit

RUS Hallens. Saxo,

ad diem 25. Junii

ntinis,

ERGÆ,

STOPHORI Siegel.

XXXVI.